

pra horizontem, varijs Regionibus inferuientes: atque in una-  
 quaq; harum tabellarum seu tympanorum varij circuli de-  
 scripti apparent: primò conspiciuntur tres circuli circumfe-  
 rentiæ horum tympanorum concentrici; quorum minimus  
 ab centro communi vicinissimus, circulus alti solstitij, seu tro-  
 picus cancri dicitur, eò quod illi circulo, quem sol attingens  
 primum gradum cancri, motu suo ab occasu in ortum descri-  
 bit, proportione respondet. Maximus vero dicitur circulus imi  
 solstitij, seu tropicus capricorni; eò quod illum circulum,  
 quem sol attingens primum gradum capricorni motu suo de-  
 scribit, repræsentet. Medius autem horum circulus æquino-  
 ctialis seu æquator dicitur. Hi 3. circuli concentrici à duabus  
 lineis seu diametris sese in centro communi perpendicularari-  
 ter tangentibus, in quatuor quartas æquales secantur; quarū  
 illa diameter, quæ descendit ab armilla seu annulo suspenso-  
 rio, linea medijs cœli, quia meridianum circulum refert; altera  
 verò horizontalis dicitur, quia Horizontem rectum repræsen-  
 tat, cuius sinistrum orienti, dextrum occidenti ascribitur, fa-  
 cie instrumenti in conspectu ante oculos nostros suspenso.

Secundò in hac facie tabellarum descripti apparent multi  
 imperfecti circuli, horizonti obliquo paralleli, Arabibus Al-  
 micantharath dicti, qui totum hœmisphœrium usque ad ver-  
 ticem instar retis aut telæ aranearum diducunt, quorum cir-  
 culorum in tympanis solipartijs, hoc est, ubi eiusmodi circuli  
 uno gradu tantum distant à sese mutuò, 90: in tripartijs, id  
 est, ubi 3. gradibus distant, 30: in quinque partijs, id est, quæ  
 quinque gradibus distant, 18. numerantur: atq; horum omni-  
 um maximus est, horizon obliquus; minimus verò, qui maxi-  
 mè ab horizonte obliquo seiungitur. Horum circulorū com-  
 mune centrum, ex quo omnes describuntur, dicitur punctum  
 verticale, inter quod punctum & horizontem quaq; versus in-  
 tercedit semper quarta circuli, hoc est, 90. gradus: uti etiam